


372



370

376

et multis signis et virtutibus facies illa claruit, et celebris
facta fuit. Haec mulier cum sudario a Tiberio Caesare per
Volusianum militem e Hierosolyma Romam accersitur. Detine-
batur enim Caesar magno infirmitatis morbo, qui, quamprimum
mulierem sauctam suscepisset, et imaginem contigisset, curatus
est. Quo curato postea usque ad mortem ibi moribus et
sanctitate in pretio habita cum apostolis Petro et Paulo atque
Clemente ecclesiam Dei constituens perseveravit. Ipsa autem
imago panniculo impressa, Clementi Pontifici et successoribus
ab eadem ex testamento derelicta, nunc usque Romae in beati
Petri templo a Christi fidelibus maxima cum religione invisi-
tur. Sacrum autem sudarium nomen mulieris retinuit usque
in hodiernum diem, et dicitur Veronica (B). Hanc Veroni-
cam vidi Romae in die ascensionis Domini anno 1476.

De hoc multi per tempora exquisitis celebravere laudibus,
inter quas illa singularis habetur, et communiter dicitur, quae
sic incipit:

Salve sancta facies nostri Redemptoris,
In qua nitet species divini splendoris,
Impressa panniculo nivei candoris,
Dataque Veronicae ob signum amoris.

Igitur domum istam sanctae Veronicæ jocunde contem-
plabamur, cogitantes, quomodo tota romana ecclesia acquisivit
per illius domus hospitam decorum et gloriam accipiendo ab
ea faciem Salvatoris, et fideles de universo mundo Romam
currunt, ut faciem hanc desiderabilem videant, quam dum
Christianus cernit, a fletu se cohibere non valet. Stetimus ergo
ante domum, et ostium deosculati sumus, et indulgentias
recepimus (†). Porro post peregrinorum recessum a Jerusalem
nos, qui mansimus, in ipsam domum intromissi fuimus per
Sarracenum, qui eam inhabitat.

Domus Dodrūcis, divitis illius epulonis, qui purpura
indutus etc.

Consequenter descendimus per vicum, et ad domum ve-
tustam sed pulchram venimus, quae dicitur suisse divitis
epulonis domus, qui proprio nomine Dodrux dicebatur, quod

Ende

Anfang